

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9523

Auteur(s) : Richard II de Rouvres [autre]

Bénéficiaire(s) : Notre-Dame-de-Bondeville, Notre-Dame de Bondeville (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1191

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard [II] de Rouvres confirme les donations faites aux religieuses de Notre-Dame de Bondeville par Richard [Ier de Rouvres], Gilbert et Mathilde, sa mère, et il leur concède le droit de prendre des bois dans son bois pour construire des clôtures.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Arch. dép. Seine-Maritime, 52H16.

Dissertation critique

Transcription : Tamiko Fournier-Fujimoto

Texte d'après A

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod ego Ricardus de Rovris presenti carta confirmo monialibus de Bondevilla omnes donationes quas Ricardus et Gillebertus et Matildis mater sua eisdem monialibus dederunt, scilicet culturam terre juxta ecclesiam adjacentis, et sedem unius piscine in aqua sua prope ecclesiam decurrente, et decimas molendinorum suorum de Malo Alneto, et sedem unius molendini ante curiam ipsarum et decimas scensuum et respectuum, et decimam molendini sui de Hulmo, et decimam tocius nemoris de Monte Calvo, et secundam decimam tocius sue segetis, et quatuor burgenses in Haia Montis Calvelli habitantes qui reddunt ecclesie solidos .VIIIto. per annum, et decimam omnium molendinorum suorum Bondeville et Moncelli, et decimam scensuum et respectuum tocius sui redditus, et ex altera parte ecclesie Sancti Dionisii versus forestam de Silve Fono. Concessit monialium pecudibus in insula inter duas aquas sedem unius curie et transitum ad pasturam foreste de Silve Fono. Concessit etiam eis decimam unius sue villule que dicitur Boscus, et unam piscinam et unum hospitem qui reddit monialibus solidos .V. per annum, et VII. jugera terre que omnia pertinent cuidam elemosine, pro qua moniales faciunt celebrare tres missas apud Bondevillam, quaque ebdomada, pro eodem Ricardo de Rovris et animabus omnium antecessorum suorum. Et concessit etiam eis unam acram terre quietam apud Malum Alnetum, quam Robertus faber, frater earum, dederat eis. Et unam acram terre inter duas aquas quam Ricardus de Vado dederat eis in elemosinam, et quatuor acras terre apud Lesalez et unam acram prati apud Bondevilla. Et unam acram terre prope ecclesiam Mali Alneti, quam Willelmus de Saus eis dederat. Super hoc moniales emerunt .III. marcis argenti de Ricardo Morant, unum molendinum tenerez et sedem domus sue et totam terram sue mansure, assensu Ricardo de Rovris de cujus feudo erat. Praterea idem Ricardus de Rovris dedit eis unam quarucatam terre apud Pubovium, quam tenebat de feudo de Pratellis. Concessum etiam eis pasnagium et herbagium porcorum suorum et animalium in Monte Calvel, et mortuum boscum et pratium quod est juxta

molendinum in dote ecclesie. Concessit etiam eis duas acras terre quas dedit eis Bernardus de Burgehel. Dedit etiam eis decimam virgultorum suorum et concessit duas acras et unam virgatam terram apud Chocherelmontem, et unam mansuram apud Male Alnetum, et unum villicum quietum apud Lesaloz, que dedit eis Beatrix de Hesletis. Hec omnia concessit Ricardus de Rovris cum uxore et filius suis etiam et decimas totius redditus de Spinevilla. Hec omnia confirmo ego predictus Ricardus de Rovris et preterea aliud donum quod dedit Gillebertus pater meus sepepredictis monialibus scilicet centum acras terre liberas et quietas in Monte Cavello et boscum de Faio, quantum ejus est inter duas vias Mesnillorum Duorum et cum illo bosco quatuor acras terre sui dominici extra Faicum. Concessit autem Gillebertus et confirmavit omnes donationes et elemosinas quas Ricardus pater ejus ipsis sanctimonialibus dederat et concesserat liberas et perpetuas imperpetuum permanere, et ut omnes advenientes molendino ipsarum ab omnibus partibus per terram suam transeuntes, in pace eant et redeant. Insuper et culturam de Moncellis. Concessit etiam ut tres misse cantentur in monasterio sanctimonialium que statute erant in monasterio Bondeville cantari quod factum fuit percepto Rotroldi archiepiscopi. Ricardus etiam presbyter dedit eis terram de Quercu ante portam illarum in elemosinam consensu, Roberti fratris sui, et ex dono Ricardi de Vadis quatuor acras terre ad Aluez, et pratum Rogeri de Sancto Martino et forerie de Junchera, justa culturam, et pontem ipsarum quietum ut in boscum eant et redeant, et duas acras terre per quas via est ad nemus citra aquam et ultra. Ex dono Fulberti Leremarii et Emeline uxoris sue et ex dono Philippi de Sahus, unam acram terre in capite vallis Rogeri. Ex dono Engelardi de Malo Alneto sex acras terre apud Mesnillum. Ex dono Willelmi Sancti Michaelis, sex acras. Ex dono Ricardi Hubold et Anfride matris sue duas acras apud eundem locum et unam acram prati prope domum sanctimonialium, preterea ego Ricardus concedo predictis monialibus quod habeant in nemore meo de Monte Calvo rationabilem clausuram ad blada sua in campis claudenda et ad gardignum suum et porprisum sufficienter claudendum. Actum fuit hoc coram Johanne de Constanciis, Rothomagensi decano, curam totius archiepiscopatus illo tempore gerente et coram capitulo Rothomagensis ecclesie. Testibus his, Roberto priore de Monte Infirmorum, Roberto canonico suo, Lamberto presbitero et Rogero de Hospitali, Durante de Pinu vicecomite Rothoagensi, Ricardo milite ejus, Matheo de Becco, Willelmo de Sancto Laudo. Hec carta facta fuit anno verbi in carnati, M^o C^o. octogesimo. XI^o.